



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 5. An ad valorem Sacramenti requiritur fides & sanctitas in Ministro?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

Excepi Matrimonium, quia ejus valori obstat error circa personam; eo quod obstat valori contractus in quo Sacramentum fundatur.

*Q. 4. An valet Sacramentum, quando Minister habet duas intentiones contrarias quarum una repugnat ejus valori?*

*Resp.* Validum est, si debita intentio prævaleat intentioni, quæ repugnat valori Sacramenti: quia tunc sola intentio prævalens est efficax, & altera est inefficax ac mera dispendentia. Secus, si intentio contraria prævaleat, ob eandem rationem. Quod si utraque sit æqualis, minister nihil efficit: quia æqualiter vult facere & non facere Sacramentum; ideoque non vult efficaciter illud facere. Porro illa intentio prævalet alteri, quæ est magis absoluta, & aliam expelleret si rem intentam impediret.

*Q. 5. An ad valorem Sacramenti requiritur fides & sanctitas in Ministro?*

*Resp.* Neg. Fide constat i. Ex traditione, & consuetudine perpetua Ecclesiæ, præsertim Romanæ à tempore Apostolorum, quæ neminem unquam ritè ab Hæretico, adeoque fide & sanctitate destituto Baptizatum rebaptizavit. Hancque praxim ab Apostolis mansisse constat: cum neque alicujus Romani Pontificis decreto, neque generalis alicujus Concilii Canone Instituta aliquando fuerit, sed ab

initio viguerit in tota Ecclesia. 2. Ex Trid. sess. 7. can. 4. de Baptismo. 3. Quia virtus Sacramenti est & agit ex meritis solius Christi, qui per ministrum tanquam instrumentum illud conficit; & potestas conficiendi Sacramenta est gratia gratis data, quæ impossibilis est cum peccato. 4. Alioqui cum fides vel probitas sæpe in multis desit, sæpe Sacramenta exponerentur nullitati cum ingenti animarum damno, & sic Christus parum Ecclesiæ suæ providisset.

Hinc error Ministri circa sensum formæ non expressus in forma, v. g. quòd Filius non sit æqualis Patri, non impedit valorem Baptismi ab Ariano collati: quia non mutatur formæ significatio, quæ non ex privato cuiusque arbitrio, sed ex communi usu in Ecclesia recepto petitur. Præterea ex Florent. tria solum requiruntur ad valorem Sacramenti ex parte Ministri, nimirum ut adhibeat materiam & formam debitam, & habeat intentionem faciendi quòd Christus instituit, vel Ecclesia facit.

*Q. 6. An Minister tenetur esse in statu gratie dum Sacramentum conficit, vel ministrat?*

*Not.* Aliud est conficere, aliud administrare Eucharistiam. Sed in aliis Sacramentis ipsa confectio est simul ministratio.

*Resp. I.* Qui Sacramentum in peccato mortali conficit, vel ministrat tanquam Minister ad id consecratus, vel specialiter ab Ecclesia deputa-